



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.  
Doctoris Vita**

**Lancilottus, Corneille**

**Antverpiæ, 1616**

Cap. XXXI. Deiparam Virginem reliquosque Sanctos D. Augustinus  
summopere coluit. Insigne eius apophthegma de Christo eiusque Matre.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42857**

## CAPVT XXXI.

*Deiparam Virginem reliquosque Sanctos,  
D. Augustinus summopere coluit. In-  
signe eius apophthegma de Christo eius-  
que Matre.*

Lib. 20. cōt.  
Fauft. c. 21.  
& lib. 32.  
c. 11. & 12.  
Amb. Stei-  
ban. 58.  
P. Valder.  
& alij.

De symb.  
ad Cathec.

*B. Virgo pa-  
trona Ordi-  
nis Augu-  
stiniani, eā  
que est in  
insignibus  
expressa.*

**P**RÆCIPVO autem cultu Deiparam sem-  
per Virginem est profecutus, in cuius  
laudem, Officium cum Antiphonis & Re-  
sponsoriis composuisse memorant: ac in  
primis Lectiones eas quæ Natali die eius-  
dem sanctissimæ Virginis in Ecclesiâ reci-  
tantur. *Per feminam, inquit, mors, per femi-  
nam vita; per Euam interitus, per Mariam  
salus.* Hanc vnicam post Christum, spem  
peccatorum, præmiorumque expectatio-  
nem vocat: & pluribus encomiis in eis  
precibus exornat, quas familia nostra Au-  
gustiniana statis diebus ei recitat; imitatio-  
ne sui parentis, tantæ Virginis singulari stu-  
dio accensa: in cuius quoque honorem al-  
bâ veste vtitur, cum obligatione cuiusdam  
penſi Horarij, quod ei Choris alternantibus  
exsoluit. Eamdem, veluti matrem ac pa-  
tronam Ordinis singularem, in sigillis ac  
insignibus à Romano Pontifice iam olim  
accepit, in quorum areâ B. Virgo dextrâ  
parte constat, totius Ordinis custos ac pa-  
trona; sinistrâ verò cernitur Augustinus,  
mona-



monasticis simul & Pontificalibus amictus  
vestibus. Ad hæc Redemptor humani ge-  
neris cruci affixus, inter duas columnas &  
arcum triumphalem spectatur cum his li-  
teris: I C. X C. id est, I E S V S C H R I S T V S.

Hanc crucem monachus quispiam om-  
nium aliorum vice complectitur, estque  
hæc sententia in scuti ambitu: *Augustinus*

*lux Doctorum, malleus hæreticorum.* Ad

H. Seripã-  
dus in Cõp.  
ann. 1100.

hæc recepit Ordo noster à Pont. Max. Gre-  
gorio IX. Deiparæ Virginis imaginem; il-  
lam ipsam quam D. Lucas pinxisse tradi-  
tur, quæ etiamnum hodie miraculis ingen-  
tibus Romæ celebratur, in eo Ordinis mo-  
nasterio quod est iuxta portã Flaminiam,  
vbi Nero sub arbore nuce sepultus fuit:  
estque is sacer locus, ad aliorum distinctio-  
nem dictus vulgò, *La Madona del populo*,  
forsan ob frequentiam populi, qui subsidij  
causã eò confluit: & meritò, nam secun-  
dum D. Augustini sententiam hæc omni-  
modis est inuocanda. *Toto*, scribit, *mentis*

*affectu beatissimæ Virginis nos intercessionibus*  
*committamus omnes, eius patrocinia om-*  
*ni nisu imploremus; ut dum eam obsequio*  
*frequentamus in terris, ipsa nos sedulâ prece*  
*commendare dignetur in calis. Neque enim*  
*dubium, quæ meruit pro liberandis proferre*  
*pretium, posse plus omnibus, liberatis impen-*

Serm. 35.  
De Sanct.

R 3

dere



dere suffragium. Eamdem porrò Dei Matrem, quemadmodum & sanctissimum eius Filium in cruce fixum, ardentibus sæpè precibus compellans, tantâ mentis implebatur dulcedine, vix vt auelli alterutro posset. Proptereâ frequentatur hoc apophthegma eius, inter Christum & Mariam genua figentis; *Positus in medio, quò me veritam nescio; hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere.* Quod piâ libertate dictum ab Augustino facile potest intelligi, contra peruicaces quosdam ac supinos huiusce sæculi nouatores, qui nimis ad viuum hoc ipsum ressecât. Quàm autem reliquorum Sanctorum inuocationem obseruauerit, declarant hæc eius verba: *Felices Sancti Dei omnes, qui iam transiistis huius mortalitatis pelagus: qui securi estis de vobis, obsecro vos per vestram caritatem, solliciti estote de nobis. Per ipsum vos rogo qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulcritudine iam satiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissimâ visione semper gaudetis: estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vite circumstantibus agitamur procellis. Orate vniuersi cætus beatorum, vt vestris precibus meritisq; adiuti (Sanctorum enim intercessione non paucos asserit extremo iudi-*

*Apophthegma S. Patris Augustini.*

In Chron. & apud Vald. in Theat. Relig. f. 123. & 338.

Medit. cap. 24. S. Augustinus Diuos inuocat.



iudicij die seruandos) *saluâ naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis.* Præcipue verò coluit, & orationibus ieiuniisque celebrauit diuum Stephanum, in cuius honorem templum extruxit, eiusq; corporis Reliquiis illud exornauit; quòd plurima tribuerentur ibidem beneficia Sanctum inuocantibus; quodque præfractorum hominum emolli- ret affectus, quòd morbo pressos sanitati restitueret, & mortuos quoque ad vitam suis precibus reuocaret.

Lib. 21. De ciuit. Dei, cap. vii.

Templum S. Stephano extruxit.

Lib. 22. De ciuit. c. 8. & Serm. 29. De temp.

## CAPVT XXXII.

*Quomodo reiectis omnibus, summâ curâ Horas recitauerit.*

**A**CCVRATISSIMVS semper fuit in recitandis Precibus horariis, non tam metu (vt supra retuli) illius imprecationis, *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter,* quàm amore quo in Deum & orationis studium ferebatur. Hoc pensum, missis ceteris, ingenti pietate exsoluere satagebat; ad hoc tempus opportunum otiumq; deligebat, in eo reddendo, velut sub vitæ melioris initium Officiû diuinum audiendo, frequentiùs lacrymis perfundebatur. Ac semel dumtaxat multitudine negotiorum obrutus, Completorij recitandi fuisse obli-

Lib. 2. c. 2.

Leonardus de Vtino ser. de sancto Augustino. Legenda Sanctorum, & alij.

R 4

tus